



## Universitätsbibliothek Paderborn

**F. Cornelii Cvrtii Cæsarei Consiliarij et Historiographi  
Ordinis Eremitarum S. Avgvstini S. Nicolavs Tolentinvs  
alijque aliquot eiusdem Ordinis Beati**

**Curtius, Cornelius**

**Antuerpiæ**

10. Matronæ mortuos semper fœtus edere solitæ, vivos deinceps  
promittit.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-37243**

rogatque super affecto pede prece  
ab eo aliquas fundi. Ille vero reci-  
tavit quam Christus docuit oratio-  
nem, & salutis signo addito ; Vadi-  
ait, *in pace fili, non leviter sauciatus*  
*IESVS fidem tuam propitius respiciat.*  
Abit. Adit haud multo post Chi-  
rurgus, & vulneri religando ma-  
num admoveat ; sed ille sibi perdi-  
tus videbatur, dum ne vulneris qui-  
dem ullum vestigium reperit.

Reperit vero diem illic quædam  
Matrona iterum, quem plorando  
amiserat. Dum enim germanum  
suum, Augustinianum Eremitam  
præmaturo funere extinctum im-  
potenter & planè muliebriter lu-  
get, perennibus lacrimis oculos  
corrupit : quos rubor primum san-  
guineus totos inflammavit, glau-  
coma deinde obduxit, adeoque  
extinxit. Verum ad NICOLAVM ad-  
ducta, manuque ejus signata ape-  
ruit oculos serenos jam, lucidosque  
& omnino linceos.

10. Matronæ  
mortuos  
seper fœ-  
tus edere  
solitæ, vi-  
vos dein-  
ceps pro-  
mittit.

Sed beneficij arctiori vinculo si-  
bi NICOLAVS Berardi conjugem  
*Margaritam obstrinxit; quæ exani-*

mes

mes semper fœtus eniti solita , ejus patrocinio redditia est *mater viventium*. Cūm enim primum uteri pondus , quo gravidam *Berardus* reliquerat, absente eo peregrè, feliciter posuisset, venustulumque & bene habitum filiolum velut *ōdai πόπον* redituro patri offerre lēta gestiret , pulsat de improviso ostium ejus mors atra, & puellum è sinu matris nequidquam ejulantis eripit. Et affixit acerbis hic casus tam validē *Margaritam* , ut jam inde abhinc quot pignora (septem omnino fuerant) tot funera infelici semper partu ediderit. Cūm ergo de fœtu, quo prægnans erat iterum , sibi non leviter timeret, miseratus tam ærumnosam matrem *NICOLAVS*, cūm dies aliquot pro eā cælo supplicas- set, suspendere lacrimas , & Deo confidere mulierem j̄tibet , quam utero ferret filiolam , incolumen edituram. Præfigio suus eventus respondit : nam enixa est non modò tum illam , sed plures deinde alias proles , bene omnes valentes & vitales.

Et

B II  
36 C

Et ut alia plurima non invitū  
prætero, ita juvat hīc pro corolla-  
rio attexere avaris lucrionibus ob-  
oculos identidem objiciendum  
monimentum : quo discant in ja-  
cturā ingentem quæstum, & cum  
damno summum lucrum facere.  
Ibat NICOLAVS noster ostiatim, &  
stipem mendicatō colligebat : pro-  
dit ecce matrona paupercula, pa-  
nemque ei in manticam conjicit  
oculis lacrimantibus ; atque, Ut ne  
nescias, inquit, Dei famule, unus  
hic mihi domi reliquus est : farina  
quidem aliquantillum suppetit in  
facculo, at in horreo nullum fru-  
menti granum ; adeoque res mea  
ad incitas rediit & famem, mihi  
meisque liberis ultimam. Bona ver-  
ba, ait vir optimus, ô mulier : Di-  
tibi propitii sint, & in re tam angu-  
stâ munificam hanc manum tuam  
remunerent, farinæque quod ha-  
bes pauxillum, liberaliter adau-  
geant. NICOLAI voto respondit  
cælum, ut audisse crederes : nam &  
faccus, in quo tantillum superabat,  
& arcam vacuefactam anteā im-

II.  
Farinam  
auget.